



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

41. Inter tot, &c. Concessio Indulgentiarum Christifidelibus status
Ecclesiastici tam mediati, quàm immediati divinam opem implorantibus,
quàm in præsentibus gravissimis necessitatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

infertis habentes, illis aliis in suo robore permanforis, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum exemplum in Sacrificia predicti Monasterii, vel alio loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assidue remaneat. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima prima Novembris 1708. Pontificatus nostri anno octavo.

F. Oliverius.

CONSTITUTIO

XL.

Ut Festum Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae de precepto ubique in posterum observetur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commissi Nobis divitis Sacrosancti Apostolatus officii exigat ratio, ut gloriosissima Virginis Dei Genitricis Mariae, cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo, venerationem, & cultum, plurimum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quae super Choros Angelorum exaltata pro populo Christiano sedula exoratrix apud Eum, quem genuit, assidue intercedit in Caelis, potentissimam operam, in tot tantisque, quibus premitur, Christianae Republicae, & Catholicae Ecclesiae necessitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, promoveri jugiter satagamus. Sincera itaque nostrae erga eandem Augustissimam Coeli Reginam, Patronam, & Advocatam nostram devotione incitati Festum Conceptionis ipsius Beatae Mariae Virginis Immaculatae ubique Terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis, sicut alia Festa de precepto servari, & celebrari, ac sub precepto observationis Festorum comprehendendi, auctoritate Apostolica tenore presentium decernimus, praecipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis presentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Decembris 1708. Pontificatus nostri anno octavo.

F. Oliverius.

Anno a Nativitate DN. Jesu Christi millesimo septingentesimo octavo, die 6. Decembris, Indictione prima, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Clementis Divina Providentia Pape XI. anno ejus octavo, supradicta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad vultus Basilicae SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Cancellaria Apostolica, in Monte Cretorio, in Acie Campi Florae, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus Apost. Curs. Sebastianus Vafellus Mag. Curforum.

CONCESSIO

Indulgentiarum Christianis fidelibus Status Ecclesiastici tam mediati, quam immediati divinam operam implorantibus, quam in presentibus gravissimis necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Inter tot, tantasque, quibus Sancta Romana Ecclesia hoc turbulentissimo tempore undequaque premitur angustias, gravissimis potissimum, quibus nostri, & Apostolicae Sedis etiam quoad temporalia Subditi affliguntur calamitatibus, paternae charitate commoti ad Deum toto corde clamore non cessamus, ac quemadmodum indictis publice precibus jam pluries fecimus, ita etiam nuperissime Christiani fideles in Alma Urbe nostra degentes ad iram Dei, quae peccatis hominum assidue laceffitur, per salutaris poenitentiae lamenta, ac jejunia, & elemosynas, sincerisque, & unanimes obsecrationes, atque orationes placandam prolatis largam manu caelestium gratiarum dispensationi nostrae divinitus creditarum thesauris excitare studuimus. Id ipsum nunc, ut & reliqui etiam Christiani fideles universi Status nostri Ecclesiastici scilicet per veram poenitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & elemosinarum largitiones viribus orationis facere committantur, eos omnes, & singulos paternae ad hortandos, & monendos, eorumque pietatem, erogatis itidem amplissimis caelestium gratiarum muneribus, incitandam, atque fovendam esse arbitramur.

§. 1. Itaque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Praelatis, & Ordinariis Civitatum, & Dioecesium, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Nobis, & eidem Sedi in temporalibus mediatae, vel immediatae subditorum, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus per praesentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum presentium literarum transumpta, seu exempla etiam impressa ad eos pervenerint, Processiones in suis respective Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis instituant, publicasque preces indicant; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacrae Communionis resectis, qui Processionibus hujusmodi respective interfuerint, vel Ecclesias, & quae, & ad quam aliqua Processionum hujusmodi fiet, eodem, vel aliquo ex septem subsequentibus diebus devote viderint, ibique Divinum auxilium, ut praemittitur, imploraverint, ac insuper peracto unius diei jejunio ecclesiastico aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio, pauperibus erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, per unumquemque Christiani fidelem semel tantum lucrificandam, misericorditer in Domino concedimus.

§. 2. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis Sacularibus, vel Regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante presentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi

XL.

Exordium à gravissimis Subditorum Sanctae Sedis.

Ordinariis locorum injungit, ut processiones, publicasque preces indicant.

Indulgentiam plenariam concedit ad implentibus opera praecipita.

Pc-

Pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.

§. 3. Præterea eisdem Christifidelibus, qui recitationi Litaniarum omnium Sanctorum cum collectis, & precibus consuetis in aliqua ex Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum præfatorum per memoratos Locorum Ordinarios respectivè designandis, mense à die publicationis earundem præsentium computando durante dumtaxat, itidem devotè interfuerint, ibique, ut supra dictum est, oraverint, quocumque die interea id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu per eos quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus; Nec non, ut omnes, & singula Indulgentiâ, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiâ relaxationes præfatâ animabus fidelium, quæ Deo in charitate conjunctâ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, similiter indulgemus.

Et facultatem Confessariis approbatis absolvendi à refer-

§. 4. Cæterum cupientes Christifideles præfatos hujus pretiosissimi thesauri fieri participes, quibuscumque Presbyteris Confessariis tam Sæcularibus, quam Regularibus ad id in Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum hujusmodi per prædictos Ordinarios specialiter deputandis, ut eosdem Christifideles ibidem ad se occasione consequendi Indulgentiam plenariam hujusmodi pro hac vice dumtaxat recurrentes, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus eorum peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, etiam quantumvis gravibus, & enormibus, ac etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedî Apostolicæ, etiam per literas Apostolicas die Cœnæ Domini legi solitas, aut alias quascumque nostras, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, pœnitentiâ salutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conscientiæ, & eâ vice tantum absolvere, & liberare valeant, facultatem impertimur.

Non tamen dispensandi super irregularitate, nec absolvendi excommunicatos publicè denunciatos.

§. 5. Non intendimus autem præsentibus super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodolibet contractâ dispensare, vel aliquam tribuere facultatem dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque easdem præsentibus literas illis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælate, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu alias in sententias, vel censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi prius satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & præsertim illis, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nequidem similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ

haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Januarii 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo nono, die 4. mensis Januarii, Indictione secunda, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, Domini Nostri D. Clementis Divina Providentia Papa XI. anno ejus nono supradicta litera Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, in Monte Citorio, & in Acie Campi Flora, ac alio loco solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Thomam de Unionibus SS. D. N. Papa Cursorem.

Sebastianus Vassellus Mag. Curs.

DECLARATIO

Nullitatis Electionis, seu nominationis R. P. D. Francisci de Solis Episcopi Ilerdensis in Gubernatorem Ecclesiæ Abulensis ab illius Decano, Capitulo, & Canonicis per abusum Laicalis potestatis factæ, nec non quorumcumque inde secutorum, & secutorum, cum illorum revocatione, & abolitione, ac aliis diversis ordinationibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

IN Supremo Apostolicæ Dignitatis culmine, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam collocati, Ecclesiasticam Immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam, nostraque, & hujus Sanctæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum jura, ex commissi Nobis cœlitus Pastoralis Officii debito, facta tecta tueri, & si quando ea quorumcumque, præsertim Laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi ausibus violata esse novimus, ab ejusmodi violationibus asserere satagimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, æquitati, & justitiæ, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Proœmium

§. 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod alias tunc existens Secretarius universæ, ut vocant, Expeditionis Charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici dilectis filius Decano, Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Abulen. per suas literas die 4. Februarii proximè præteriti, seu alio veriori tempore eis conscriptas nunciavit, quod cum dilectus etiam filius Froilanus Diaz Frater expressè professus Ordinis Prædicatorum dudum ad dictam Ecclesiam per obitum ultimi illius Episcopi solatio Pastoris destitutum à dicto Philippo Rege Nobis præsentatus, præsentationi hujusmodi, antequam illam à Nobis admitti contingeret, renunciasset, ac subinde idem Philippus Rex ad Ecclesiam prædictam Venerabilem Fratrem Franciscum de Solis Episcopum Ilerden. (ut in eisdem literis asseritur) similiter præsentasset, quia ab illo sic præsentato curam, & regimen dicte Ecclesiæ quamprimum suscipi, & assumi cupiebat, eidem Secretario mandaverat, ut Decano, Capitulo, & Canonicis præfatis significaret ipsi Philippo Regi gratissimum fore, si dictus Franciscus Episcopus incunctanter

ab